Quelle:
Copyright:



nomine legimus, viri docti habent pro Epitoma ex majore Valerii opere concinnata, maxime cum dictionem aliquando prodant, illa fere etate indignam. Unde Erasmus in Ciceroniano: "Valerius Max. tam similis est Ciceroni, quam mulus homini". Ger. Vossius de hist. lat. lib. I. c. 24. uti et Lambec. T. 2. de Bibl. Cæs. pag. 988. quemdam Julium Paridem, Cantelius vero in sua Valerii Editione, Januarium Nepotianum Compilatorem autumat, justiore forte suspicione, nam idem Nepotianus in epistola ad Victorem suum, quam exhibet Philipp. Labbeus T. I. Biblioth. Mss. p. 669. Scripta Valerii Max. a se in Epitomen redacta esse fatetur. Non minor est dissensio de Authentia libri X. de nominibus, pronominibus, cognominibus et agnominibus inscripti, sed hoc Criticis dijudicanda relinquo. Lege præfationem, quam describere piget, Stephani Pighii Epitomæ de nominibus præfixam, in edit. Torrenii Sup. Cit. Tom. 2. pag. 874.